



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus LXXVI. De causis dissolvendi contracta sponsalia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

nus testis, etiam de visu, & omni in ore duorum, vel trium stat omne verbum, excepto casu
 exceptione major, ut patet ex citr. CC. & C. licet universis de test. Vox speciali prædicto,
 enim unius, vox nullius; & solum eto,

CASUS LXXVI.

De Causis dissolvendi contracta sponsalia.

Dilectus jurato contraxit sponsalia cum Rosa, putans esse Virginem, sed resciciens postea vi ab alio defloratam fuisse, & videns sibi affulgere spem connubii cum Rosalia ditioze, & pulchriore, petit à Rosa sponsalium contractorum dissolutionem, quæ cum inaudiverit eum familiariter agere cum Rosalia, etiam ab alio proco occultè corrupta, in dissolutionem non invita consentit: Quare sponsalia init cum Rosalia, existimans esse Virginem, sed postea intelligit esse viduam.

QUÆR. I. An inita sponsalia mutuo consensu dissolvi possint sine Judicis auctoritate, etiam quando sunt juramentò firmata?

QUÆR. II. An sponsus resiliere possit à sponsalibus juratis ob deflorationem sponsæ vi ab alio corruptæ?

QUÆR. III. An ob fornicationem sponsa sponsalia præcedentem possit sponsus, qui eam ignorabat, putans esse Virginem, contracta sponsalia dissolvere, aut quando contraxit cum Vidua existimans esse Virginem?

QUÆR. VI. An si unus sponsorum laboret vitio occulto, cujus si alter conscius esset, haberet justam causam resiliendi, vel non contrahendi, possit suum vitium tacere, & contrahere sponsalia, vel post illa contracta alterum coram Judice cogere ad ea implenda?

Ad

430

AD I. Q. R. quamquam non nulli, cum Jo. Andr. *c. de illis n. 1. fin. de spons. docuerint ad dissolvenda sponsalia valida* praequiri Judicis Ecclesiastici sententiam, excepto casu ingressus Religionis, & matrimonii alterius contracti.

Nihilominus dicendum est cum Antonin. *p. 3. t. 1. cap. 18. §. 1. casu 5, Host. c. 2. de spons. fi. Inn. c. si cut eod. tit. un. Sylvest. verb. sponsalia n. 10. Emm. Sà eod. verbo n. 12. Sanch. l. 1. de spons. D. 52. & D. 69. Mastr. num. 86. Bonac. de matr. D. 1. pun. 10. n. 15. Averf. Ledesm. utroque, aliisque, quando causa est manifesta, aut de causa sufficienti constat, non requiri Judicis sententiam, sed posse per se, & ex natura rei propria autoritate, & mutuo consensu puberum sponsalia dissolvi.*

Ratio est; quia omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, *C. 1. de reg. jur.* Ergo cum sponsalia ex mutuo consensu consurgant, eodem per se dissolvuntur; sicque habet praxis teste LaCroix *l. 6. p. 3. num. 213.* Dixi per se & ex natura rei, quia per accidens, v. g. ratione scandali vitandi, fieri potest, ut necessaria sit Judicis autoritas, ut rectè advertit Sanch. *l. c. uti etiam tunc, quando causa est certa de jure, vel de facto, sed occulta, & sponsalia publica; si tamen causa*

certa sit occulta, & etiam sponsalia sint occulta, posse propria autoritate dissolvi; quia cessat tunc scandalum: imò si culpa sit ita occulta, ut probari nequeat coram Judice, vacabit culpâ sponsalia publica propria autoritate dissolvere; ut docet citt. Sanch. cum Palud. & aliis; quia ex una parte petita licentia negabitur ob probationis defectum; ex altera parte recuperat innocens rem sibi debitam, quam juxta omnes fas est propria autoritate capere, quando in judicio recuperari nequit.

Idem affirmant citt. DD. de sponsalibus juramentò firmatis, casu, quo causa dissolutionis est certa, & juramentum in partis favorem præstitum est; quia juramentum dirigitur in Deum, tanquam in testem promissionis homini factæ: unde homine remittente, & condonante, etiam ipse Deus remittit; imò omni juramento, quod in favorem, & utilitatem hominis præstitum est, inest tacita hæc conditio, *nisi ab isto remittatur.* Ut notat Sanch. cum aliis. Ut tamen contracta sponsalia licitè sic dissolvantur, tria requiruntur juxta citt. Sanch. *l. c. D. 52. Palud. tr. 28. d. 1. p. 17.* & alios. Primum est, ut consensus in dissolutionem ex utraque parte sit liber, non metu, fraude, aut precibus importunis extortus; nam remissio, quæ ab invito extorquetur, ab obligatione non liberat; est enim

Nnn 3 quæ-

quædam species donationis, quæ debet esse liberalis, & libera. 2. ut remissio sit mutua; aliàs illa duntaxat pars ab obligatione libera erit, cui facta est remissio, non autem illa remittit jus sibi quæsitum. 3. Ut remissio sit partibus sufficienter nota, & utrinque acceptata. Cæterùm si unus absque justa causa petat relaxationem sponsalium, potest exigere compensationem pecuniariam; secùs si ex justa causa petat; quia tunc jus habet ad dissolvendum, nec æquum est, ut quis emat rem suam. Gob. n. 265.

43ⁱ Ad 2. Q. R. sponsalia etiam jurata dissolvi per subsequentem fornicationem, decisum est, *C. Quemadmodum de iurejur.* ubi duplex redditur ratio, 1. quia fornicatio matrimonio superveniens, ipsum dissolvit quoad thorum: ergo à fortiori dirimet sponsalia, per quæ sponsi obligantur ad matrimonium contrahendum. 2. Quia tali juramento inest tacita conditio, nisi alter peccet & fidem frangat; frangenti enim fidem, fides servanda non est, & quia ob hoc fornicans fit suspectus de fide in futurum servanda.

Ubi tamen notandum est, hanc sponsalium dissolutionem esse in solius innocentis favorem, adeoque fornicantem obligatum manere, innocentem verò ab obligatione liberum esse, ita ut si ipse velit, nocens obligatus sit ad eorum im-

pletionem. *citt. C. quemadmodum de iurejur.* & DD. communiter cum Sanch. *D. 55. n. 6.* Sot. Sylv. Covar. Laym. Wiest. Schmalzgr. quia proprium delictum non debet immunitatem præstare fornicanti, & absolutionem à contractu, & insuper quia quod favore alicujus introductum est, non debet in ejus damnum retorqueri, *l. quod favore, C. de legibus.* & DD. communiter.

An autem, si sponsa illatâ vi ab altero cognita sit, sufficiens, & justa causa sit dissolvendi sponsalia, dubium est, & controversum. Non nulli cum Tabien, *V. sponsalia, q. 9. n. 10. cas. 6.* & Armill. *eod. n. 12.* arbitrantur, sponsalia per vim ab alio sponsæ illatam, seu stuprum non dissolvi, nec esse causam sufficientem resiliendi. Rationem dant; quia oppressio violenta in conjugibus non est causa sufficiens faciendi divortii: ergo neque in sponsis dat causam resiliendi à sponsalibus: 2. Quia per hoc quòd violenter fornicationem patitur, non violat fidem; nec ideò præsumi potest periculum ejus postea in matrimonio violandæ. Nihilominus,

Oppositum tenet communis, ac probabilior sententia cum Gloss. in *C. quemadmodum 25. V. oculo de iurejur.* Abb. *ibid. n. 12.* Covar. *p. 1. de spons. c. 5. n. 2.* Sylvest. *V. sponsalia n. 10. cas. 7.* Sanch. *l. c. D. 55.*

D. 55. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. alisque. Colligitur id ex can. raptor 33. caus. 27. q. 2. ubi raptus violentus sponsæ non consentientis agnoscitur pro causa sufficiente, ut à sponsalibus possit sponsus recedere. Et ratio ulterior est; quia sponsa per hoc reddita est notabiliter vilior, & sponsus maxima infamiae notâ afficeretur; rari enim credent, eam omninò invitam corruptam esse, & etsi crederent, homines tamen abhorrent contrahere cum taliter corrupta, fors etiam cum periculo alienæ proles alendæ. Unde.

Patet responsio ad 2. rationem in contrarium adductam, nam cur possit sponsus à sponsalibus resiliere non est fides sponsalitia violata, sed est valdè notabilis mutatio, antecedenter non prævisa. Ad primam rationem negatur consequ. & parit, nam cum matrimonium arctius inducat vinculum, quàm sponsalia, mirum non est, graviores etiam requiri causas ad illud quoad thorum, & cohabitationem dissolvendum, quàm ad sponsalia dirimenda.

432 Ad 3. Q. 1. membrum, an ob fornicationem præcedentem possit sponsus, qui eam ignorabat, putans esse Virginem, à sponsalibus resiliere, negativam sententiam tenent aliqui cum Paludan. in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. n. 16. quam probantur ex c. quemadmodum 5. citt.

ubi dicitur, quòd sponsus non possit obiicere fornicationem præcedentem, sed tantum subsequentem; non enim videtur esse paritas inter utramque; nam ob fornicationem subsequentem licitum est à sponsalibus resiliere; quia verisimile non est, quòd sponsa etiam in matrimonio sit fidem servatura, quæ fregit sponsalitia: hæc autem ratio non militat pro fornicatione præcedente, cum multi ante sponsalia incontinentes inveniantur, qui iis initis, & in matrimonio se continent, & fidem servant.

Verum posse sponsum in eo 433 casu renuntiare sponsalibus, & ab eis recedere, docet longè probabilior aliorum DD. sententia, quam tenet Hugo c. raptor 27. q. 2. Molina tr. 2. D. 272. num. 4. Gutier c. 34. de matr. num. 3. Perez sect. 14. num. 3. Sanch. l. 1. D. 63. num. 3. Sylvest. q. 10. Cas. 6. Rosell. V. sponsalia, n. 9. Navar. sum. c. 22. Sotus Cas. 7. Wiestn. hîc. n. 108. Schmalzgr. hîc de spons. n. 177. & alii. Ratio est; quia causa hæc de novo cognita notabilem fecit mutationem, cum ignominiosum sit viro foeminâ ab alio corruptam ducere: Quare sponsus graviter decipitur, & tantum consentit per errorem dantem causam contractui, atque adeò is à decepto rescindi potest; præterea sponsus notabile damnum incurrit, cum bigamus fiat, ac proin

proin ad ordines, si hos eligeret, promoveri non possit. Imò regulariter causa, vel defectus, qui, si fuisset cognitus, impedivisset sponsalia, quamvis antecesserit, si fuit ignoratus, & postea innotescat, adhuc dat jus ea dissolvendi; quia sicut, si quis vendat occultando vitium: causam sufficientem præbet ad venditionem dissolvendam, ita à fortiori vitium occultum est causa sufficiens ad dissolvenda sponsalia contracta, cum nullus contractus tantam libertatem exgat, quantam sponsalia. Præterea paria censentur non esse, & non apparere, *L. de Leg. ff. de contrab. exempt.*, & ideò etiam paria sunt aliquid supervenire, & præcedere ignoranter, res enim dicitur fieri, quando primùm innotescit *cap. pastoralis de except.* Sanch. l. c. n. 2. Less. l. 2. c. 42. dub. 9. Laym. l. c. c. 1. Quod etiam valere ait Sanch. n. 7. quamvis adjectum sit juramentum, eò quòd consensus fuerit præstitus cum tacito, & implicito quasi pacto, si mutatio non superveniat.

Unde ad rationem in contrarium allatam ex *c. quemadmodum cirt.*

R. id intelligendum esse de fornicatione præcedente à sponso non ignorata, sed cognita ante sponsalia, ut Gloss. & DD. ibi notant, Ad rationem additam R. eam esse aliquam rationem, sed non adæquatam; nam præterquam, quòd

fornicatio subsequens suspicionem faciat fidelitate in matrimonio observanda, insuper inducit notabilem mutationem, & circumstantiam, quæ si tempore contractus sponsalitiu fuisset cognita, merito potuisset sponsum abstertere ab ineundo tali contractu, quæ ratio pugnat etiam in casu, quo fornicatio, vel alius notabilis defectus præcessit, sed à sponso fuit ignoratus.

An autem idem vicissim sentiendum sit de sponsa respectu fornicationis sponsi ignoratæ, non æquè liquidum est, sed controversum. Navar. summ. c. 22. putat, sponsam posse à sponsalibus resilire, sicut potest sponsus, si innotescat, eum ante sponsalia fornicatum esse; quia sponsalia possunt dissolvi ob fornicationem viri subsequentem: etgo etiam ob præcedentem; paria enim sunt in jure nunc sciri, & nunc esse, & aliquid supervenire, & præcedere ignoranter, ut supra insinuatum est, res enim fieri dicitur, quando primùm innotescit, *C. pastoralis*, cirt. Verum,

Oppositum probabilius tenent Sanch. l. c. D. 63. Conink. D. 23. dub. 7. Averf. q. 8. s. 15. Bonac. de matr. q. 1. p. 8. n. 1. Castrop. Schmalzgr. aliique. Ratio est; quia sponsus per hoc non fit notabiliter vilior, prout tamen fit sponsa; vitium enim illud minoris æstima-

mationis est in sponso, quàm in sponsa, quæ per hoc longè fit vi-
lior; nec gravi ignominia notâ af-
ficitur fœmina, si viro nubat, qui
aliam cognovit.

Limitandum tamen id est, nisi
fornicatio sponsi sit frequentata,
ut adeò meritò suspectus habeatur
sponsus de fide in matrimonio ser-
vanda, vel nisi prolem habeat ex
præcedente fornicatione suscep-
tam; quia tunc matrimonium red-
deretur notabiliter difficilior, tum
propter obligationem alendæ illius
prolis, tum quia id dat causam di-
scordiarum, ubi sponsa id resciri
posset resiliere; vel denique nisi
sponsa sponsaliorum tempore non
consensisset in sponsalia, si scivisset,
sponsum fornicatum esse, præser-
tim si esset Virgo valde honesta,
quæ non æquè intendit nubere viro
impudico, quàm pudico; nam tunc
deficeret consensus.

Ad rationem in contrarium su-
prà allatam R. non parit; quia non
est idem inconveniens, quando
fornicatio præcedit, & quando
subsequitur; nam quando subsequi-
tur, dat jus dissolvendi sponsalia,
eò quòd eorum fides frangatur, &
insuper suspicio oriatur de non
servanda matrimonii fide; quæ
ratio cessat, quando fornicatio
præcessit; fornicatio verò fœminæ
præter hanc rationem concedit jus
resiliendi ob viri infamiam, & no-
tabilem differentiam inter spon-

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

sum, & sponsam, ut suprâ dictum
est, quæ ratio æquè procedit in
fornicatione præsentis, quàm præ-
cedente ignorata; unde paria,
nunc esse, & nunc cognosci, tunc
solum sunt, quando est eadem ra-
tio impedimenti, & idem incon-
veniens, sive illud præcedat, sive
sequatur, ut contingit in lepra,
morbo gallico, & similibus defe-
ctibus notabilibus; tunc enim
quando erat ignotum vitium, per-
inde involuntaria est promissio, si-
ve illud præcedat, sive sequa-
tur.

Porrò expedit hîc generalem
hanc regulam ob oculos ponere,
quæ à DD. communiter traditur ad
dissolvenda sponsalia, videlicet,
quando post contracta sponsalia
incorveniens aliquod notabile, aut
nova causa supervenit, quæ, si à
principio extitisset, vel cognita
fuisset, iudiciò prudentum à spon-
salium promissione meritò abster-
ruisset, & impedivisset sponsalia
contrahi, præbet justam causam
resiliendi; quia promissio non ob-
ligat ultra promittentis intentio-
nem, estque virtualis intentio
promittentium, non se obligare
in hoc casu indissolubiliter, &
quacunque causa superveniente.
Accedit, quod rebus notabiliter
mutatis promissio non obliget,
C. quemadmodum de jurejur. Nec ob-
est, quòd sponsalia non sint libera-
lis promissio, sed quidam contra-
ctus; ad rescindendos autem alios

O o o con-

contractus hæc causa non sufficiat; nam ratio diversa est in sponsalibus, utpote quæ majorem, quàm alii contractus postulant libertatem; cum ad mutuam amorem ordinentur, & ad contrahendum vinculum matrimonii consumati omninò indissolubile, quod non contingit in aliis contractibus, aut votis. Idem affirmat Sanch. l. c. D. 62. quamvis sponsalia juramentò stabilita sint, quia juramentum includit omnes conditiones contractûs, cui adjicitur, *l. si. C. non num. pecun.* & intelligitur, rebus in eodem Statu permanentibus, *C. quemadmodum cirt.* ac proinde non est necesse in tali casu relaxationem juramenti petere, ut notat *cirt. Sanch. l. 1. D. 67.*

436 Porro in particulari notabiles mutationes & causæ, quæ justam causam præbent ad dissolvenda sponsalia contracta, ad tria capita reduci possunt.

Primum concernit defectus corporis, quales sunt deformitas magna alteri superveniens, v. g. amissio unius, vel utriusque oculi, obtruncatio narium, aurium &c. *C. quemadmodum cirt.* vel gravis corporis infirmitas, v. g. lepra, morbus gallicus, paralytis, aliûsve morbus incurabilis, & contagiolus &c. quibus Sanch. cum aliis annumerat lætentem halitum incurabilem;

quia valde onerosum est, illum perpetuò tolerare debere. Imò idem Sanch. D. 57. n. 4. Kugl. p. 3. n. 101. Spor. n. 271. Pont. Castropl. De Nevo, Navar. & alii contra Covar. Gutt. censent sufficientem esse resiliendi causam, si sponsa ex pulcherrima fiat notabiliter deformis, quia est notabilissima mutatio, & in materia matrimonii multum æstimatur pulchritudo; hinc *Conink* putat etiam sponsam posse resilire, si sponsus fiat horribiliter deformis.

Secundum spectat ad animi defectus, quales sunt, si unus ex sponsis passus interim sit gravem famæ jacturam, ex hæresi, furto, latrocinio, veneficio &c. ortam. Item morum asperitas, & sævitia primum cognita, graves, & capitales inimicitia inter ipsos sponsos, aut eorum parentes ortæ, vel certò timendæ, ne scilicet matrimonium infelices exitus habeat &c.

Tertium pertinet ad bona fortunæ. Ubi justam resiliendi causam præbet valde notabilis amissio bonorum: Unde si sponsus tempore sponsalium esset ditissimus, non teneretur sponsa ei notabiliter pauperi factò nubere; quia est notabilissima mutatio, quæ à principio contractum impediret, Sanch. D. 59. Palao tr. 28. D. 1. p. 28. & alii. Quòd si uterque sponsus in æqualem paupertatem incidat, *Rebell.*

bell. & alii putant, tenere sponsalia, quia manent, uti fuerunt, omnia æqualia. Alii tamen cum Palao l. c. & Schmalzgr. hinc n. 191. probabilius censent, utrumque justam resiliendi causam habere; quia est notabilis mutatio, nec dari potest compensatio paupertatis unius cum paupertate alterius; cum neutra aliquid afferat, ut merito alteruter sponsorum possit jam nolle matrimonium, utpote, minus aptus, aut omnino inidoneus ad onera matrimonii ob presentem paupertatem sustinenda.

Quod e contra si unus sponsorum repente fiat multo ditior, vel honoratior, Amic. Hurtad. Ills. Schmier p. 1. de spons. c. 5. n. 149. & alii apud Gob. n. 340. affirmant eum, cui insperata divitiæ, aut dignitas superveniunt, posse resilire; quia illa mutatio causat inæqualitatem, & reddit duriorem executionem sponsalium, qualis si fuisset initio, non contraxisset.

Contrarium, idque probabilius, tenent Sanch l. c. Palao l. c. Gutier c. 33. de matr. n. 4. Conink D. 23. dub. 8. n. 69. Kugl. p. 3. n. 107. König n. 78. Schmalzgr. n. 192. Busenb. Krim. & alii; arbitantes, non idè posse sponsum sic divitiis, nobilitate, vel dignitate auctum recedere à sponsa manente in pristino suo Statu, sed stare debere promissis, quia spon-

sa per hoc non est facta deterior, sed mansit, qualis erat; neque per hoc potest dici sponsus in sponsæ conditione deceptus, nec per errorem in eam consensisse, sed circa propriam suam conditionem, circa quam consensus non fertur.

Nec allata in contrarium ratio evincit intentum; quia inæqualitas illa, & durior sponsalium executio non per se, sed ex eo duntaxat provenit, quod sponsus impediatur ab aliis sponsalibus ditioribus contrahendis, quod non sufficit ad dissolvenda contracta sponsalia; aliàs quoties offerretur sponso alia ditior, possent dissolvi sponsalia cum minus divite prius contracta, quod minimè dicendum est. 2. Justa resiliendi causa juxta Palaum l. c. Pont. Ricc. & complures alios, est justus, & probabilis timor exheredationis; quia est timor cadendi à Statu tempore sponsalium habito. Item si sponsa, aut ejus parentes vel non possint, vel non velint dare promissam dotem, quia sub illius conditione censentur sponsalia contracta, C. de illis 3. de condit. appof. conditione autem deficiente non obligant.

Id, quod Sanch. l. c. Palao l. c. Sylvest. q. 10. Cas. 9. Nav. Sum. c. 22. Gob. n. 339. Laym. & alii contra alios probabilius extendunt etiam ad casum, quo sponsalia inita sunt sine dotis mentione,

tione, & promissione præcedente; tum quia sponsalia censentur sub dotis conditione contrahi, nisi constet, sponsam esse pauperem; receptum enim est mulierem nubentem omnia bona sua in dotem promittere, quamvis hoc non exprimat: tum quia in tali casu novum onus subiret sponsus, si indotatam ducere deberet, & solus onera matrimonii ex propriis bonis sustinere.

437 Ad secundum Q. 3. Membrum respondent Sanch. l. c. Palao p. 20. n. 6. Averf. q. 8. S. 15. Lacroix l. 6. p. 3. n. 185. Contra Coninck dub. 1. n. 58. causam sufficientem resiliendi esse, si sponsus contraxit cum vidua, quam Virginem esse putavit. Rationem dant; quia Vidua censetur longè vilior, quàm Virgo; & insuper quia sponsus ducendo viduam, fieret bigamus, & dissoluto conjugio non posset absque dispensatione promoveri ad Ordines, quod videtur esse notabile incommodum. Idem probabilius affirmant citt. DD. cum Navar Man. c. 22. n. 17. König hîc n. 72. Schmalzgr. n. 177. pro casu, quo sponsus contraxit cum Vidua, quam Viduam quidem esse sciebat, sed ignorabat, eam commisisse fornicationem.

Ratio est; quia est notabilis mutatio, & causa noviter cognita,

quæ Virum prudentem meritò retraheret in principio à sponsalibus contrahendis; probrosum enim est Viro ducere inhonestam, & impudicam, quam tamen ipse putabat viduam esse honestam.

Quod si sponsus conscius hujusmodi causæ præcedentis ignoratæ, vel subsecutæ, sufficientis ad dissolvenda sponsalia postea sponsam carnaliter cognoscat; non potest à sponsalibus antea validis resilire, ut docent S. Th. in 4. dist. 35. q. un. a. 1. Sanch. D. 66. n. 2. Tambur §. 19. n. 4. Guttier c. 34. n. 9. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. Wiest. n. 113. Schmalzgr. n. 193. Spor. & alii; quia juri suo renuntiâsse censetur, & alteri restituisse jus suum pristinum, ferè, sicut qui accedit voluntariè ad conjugem suam post compertum ipsius adulterium, injuriam illi censetur remittere, ut ad divortium petendum amplius non admittatur. Aliud esset, juxta Gobat n. 384. Tambur, Spor. & alios, si nesciverit causam resiliendi; aut si tale quid faciens expressè ratificare noluisse sponsalia.

Ad 4. Q. An si unus sponso- 438
rum laboret vitio occulto, cu-
jus si alter conscius esset, justam
haberet causam resiliendi vel non
contrahendi, possit suum vitium
tacere, & sponsalia contrahere,
vel

vel post illa contracta alterum cogere ad ea implenda, censent satis probabiliter Sanch. l. 1. c. 1. c. 68. ubi quæstionem hanc ait frequentissimam, & valde necessariam esse, & apud neminem à se inventam, Averf. S. 19. Burgh. cent. 2. Cas. 2. Dian. R. 287. Lacroix l. c. n. 182. Dicast. Perez si unus sponzorum vitio occulto laboret, non afferente, speciale incommodum, uti si sponsa ante, vel post sponsalia occultè fornicata sit, ordinariè posse suum vitium occultum tacere, sponsalia contrahere, vel post contracta alterum coram Judice cogere ad matrimonium. Ratio est; quia, quamvis alter posset ob ejusmodi vitium, aut in pœnam fractæ fidei eidem fidem non servare, talem tamen pœnam non tenetur vitio occulto laborans in se exequi, uti probat praxis, teste Lacroix, nec Confessarii ad id obligant; esset enim nimis durum obligare ad se ita diffamandum, vel à matrimonio abstinendum; Quod

Confirmat c. Sanch. à pari cum adultero occulto, qui dum adulterium manet occultum, potest tacere, & debitum petere, ut tenet probabilior sententia DD. nam adulterum non posse exigere debitum, est in pœnam sui delicti, dignus est enim, ut fidem frangenti fides non servetur: sed reus non tenetur procedere suum delictum, ut à Judice, vel

ab uxore in pœnam illius privetur jure petendi: ergo quamdiu delictum non constat uxori, ut adulterum per exceptionem elidat, non privatur jure exigendi debitum, nec ipse adulter tenetur suæ pœnæ esse executor; ut alibi fufus dictum est ergo idem sentiendum de sponsalibus validis, cum hic casus videatur omnino priori similis; sicut enim per adulterium unius eximitur alter ab obligatione reddendi, & si illud sciret, posset excipere; sic per fornicationem unius, vel aliam justam causam eximitur alter ab obligatione implendi sponsalia, & si illam nosset, posset objicere, & excipere; estque eadem utrobique dissolvendi ratio, scilicet quia frangenti fidem fides servanda non est. Nec obstat quod ementi fiat injuria, si reticeatur vitium mercis, quo cognito, alter non emeret, nam non est opus tale vitium tunc manifestare, quando non obstat fini ementis, ut probat Lacroix l. 3. p. 2. n. 927. & n. 948. nec usus habet, ut in sponsalibus altera pars ejusmodi defectus suos detegat; sed relinquitur sponso, ut ipsemet in hujusmodi vitia inquirat. Dixi 1. cum sponsalibus validis, nam si hæc essent omnino nulla, quia dolus contractui causam dedit, patet, sponsum doli conscium non posse alterum cogere; cum nullo vinculo alter sit obstrictus, & ipse potius teneretur injuriam resarcire, desi-

O o o 3 stendo.

stendo à contractu. Dixi 2. Ordinariè; nam aliud esset, si periculum esset, ne vitium erumperet, sicque casuaret graves rixas, inimicitias, aliàque gravia incommoda, & inconvenientia; vel si defectus esset valde noxius, & matrimonium alteri parti notabi-

liter difficiliùs redderet, alioquin fieret illi injuria, dum imponeretur onus, in quod alter non consentiret, cujusmodi defectus esset juxta Gobat, n. 374. & Spor. n. 219. si sponsa ab alio imprægnata fuisset.

C A S U S L X X V I I .

De matrimoniis Catholicos inter, & A catholicos.

Perengarius A catholicus multarum divitiarum hæres cupit matrimonium inire cum Catharina Catholica raræ pulchritudinis, & divite puella, quæ cum diceret, nolle se cum A catholicico contrahere, spondet Perengarius, se fidem Catholicam amplexurum, si ipsa in matrimonium consentiat, quo audito Catharina appositis certis conditionibus consentit, & à Perengario emissâ fidei professione, matrimonio copulantur, sed vix elapsò anno Perengarius ad vomitum redit, & ad castra A catholica transit, reclamante, sed nihil efficiente Catharina, quam ob rem ab eo divertit, nec ampliùs vult eidem cohabitare.

QUÆR. I. An matrimonium persona Catholica cum hæretica validum sit & licitum? & quid de earum sponsalibus?

QUÆR. II. An ad hoc, ut Catholicus cum hæretico licitè contrahere possit, opus sit consensu Ordinarii speciali, vel dispensatione Pontificia?

QUÆR. III. An licita sint pacta inter conjugem Catholicum, & hæreticum inita, ut liberorum alii v. g. masculi, patrem Catholicum sequantur, s& minè verò matrem hæreticam, aut vicissim?

QUÆR.